

Zc
2737



F. K. 59.

Zc
2737

AD
ORATIONEM FVNEBREM
IN HONOREM ET MEMORIAM

VIRI

MAGNIFICI, SVMME VENERABILIS, AMPLIS-
SIMI, DOCTISSIMI

ANDREÆ
KVNADI,

~~SS. THEOL. DOCTORIS, COMITATVS~~
MANNSFELDENSIS SVPERINTENDENTIS
GENERALIS, CONSISTORII
PRAESIDIS

a. d. xv. Maii MDCCXXXVI

IN TEMPLO ANDREANO HABENDAM
OMNES

QVI MERITA SVMMI VIRI POST MORTEM
ETIAM SVSPICIUNT

CONVOCAT

M. GOTTH. IOH. LVD. DIENEMANN.
GYMN. ILL. RECTOR.

ISLEBIÆ,
PRELO IO. PHIL. HULLMANNI CONSIST.
TYPOGRAPHI



AD
ORATIONEM FUNEBREM
IN HONOREM ET MEMORIAM

VIRI
MAGNIFICI, SUMME VENERABILIS, AMPLISSIMI,
SNI, DOCTISSIMI

ANDREA KUNADI

SE. HONOR. DOCTORIS CONSISTORII
MAGISTRALIS SUPERINTENDENTIS

GENERALIS CONSISTORII
PRÆSIDIS

IN TEMPO ANDREAS HABENDI
OMNES

QUI MERITA SUMMI VIRI POST MORTEM
BENIAM SUSCIPUUNT

CONVOCAT
M. GOTTL. ION. LUD. DIERCKMANN
GYMN. ILL. RECTOR

LEBIA
PREF. IO. PHIL. HULMANNI CONSIST.
TYPOGRAPH.





Quod in communi mortalium conditione semper finimus, illud nunc eheu! ubi Virum, de omni re laeta et litteraria praclarissime meritum amifimus, nobis accidit. Eratis, vt sine praefatione, quam concius dolor non admittit, dicam, **VIR MAGNIFICVS, SVMME VENERABILIS, AMPLISSIMVS, DOCTISSIMVS, ANDREAS KVNAD.** ss. Theologiae Doctor, sacrorum per terram Mannsfeldensem summus Antistes, sacri Collegii praefes, Gymnasii nostri Inspector perperuus; Vir, in tantum defendendus, in quantum virtus, pietas, eruditio possunt cogitari. Quodsi enim verum est, sicuti est, cordatorum Theologorum in dies fere numerum decrescere, et decreuisse plus satis; quis dolorem culpet, quem omnes boni acerbam sentiunt, ubi hanc iacturam fecimus, si modo iactura dicenda est eius Viri amifio, qui ad pietatem promouendam, amplificandam, tuendam denique e caelo missus esse videbatur. Est quidem, fateor, is mortalitatis noxae curfus, vt omnes vno modo nascamur, multis moriamur omnes, vtque nunc mortes imendantur huic miserae vitae, dum suis itineribus fata decurrunt; vt illi adeo, quos praescripta nobis moriendi lex eripit, vix memorandi esse videantur: at vero tamen in morte illustrium Virorum nescio quid singularis laet, quod cum vita ante acta meretur signari ad posteritatis memoriam, et ad futuri nominis gloriam monumentis prorogari. Quod quum mihi impositum sit, voluntati ipsius Viri beate defuncti, quantum potero, facturus satis, imaginem ipsius pingam, vt hi, qui ipsum nouerunt, habeant, quod cum voluptate et desiderio adspiciant, illi autem, quibus hunc Virum, cuius morti illacrymamus, nosse non contigit, sciant, quam iustus fuerit noster dolor, quam debita laus et gloria. Non luctabor ego quidem cum materia, nec ex alto dicenda arcessam, quod ii faciunt, qui in tenui et sterili re eandem laudis speciem identidem spargere et diducere coguntur; sed illos imitabor, qui longiores terrarum tractus breui tabula depingunt, et in compendio ea sifunt, quae vix per omnem vitam circumire, ne dicam perlustrare liceret.

Quodsi illi tantum memoria et immortalitate digni essent, qui illustri loco nati, vitae suae initium magnis vrbibus debent; hic Vir pie defunctus in prima laudis parte me desereret, et destitueret sub

† † † † †

exordio. At vero, aequius iudicant homines, et habet id ipsa virtus, vt omni loco nascatur, nec, vt femina faciunt, vllam terram spernatis; sed vt vbique potius laeta segete in exemplis summorum hominum efflorescat. Immo vero id laudibus adnumerandum esse censeo, quando ii, qui in vrbibus sine nomine nati sunt, ad virtutem ascendunt, et gloriam et victuri nominis immortalitatem suis conatibus sibi vindicant. Idem euenit Summo huic Viro, qui Mitweidae MDCLXXIV. natus, non splendorem a loco natiuitatis mutatus est; sed hunc potius suo nomine illustrauit, vt Mitweidae merito gratularentur omnes, qui scirent, cum ciuem ex ipsius sinu produisse. Quod autem alii inter praecipua felicitatis ornamenta numerare solent, illustri et celebri stirpe natum esse; id ipsi contigit, quum inter auos et proauos, immo vero in gente sua reliqua eos homines habuerit, quos fama probat, seruat memoria, rubebit aeternitas. Cui enim ignota tot Kunadorum memorabilis gloria, qui vel innouerunt scriptis, vel vita claruerunt, vel denique doctrina et praeceptis orbi inferuire laetati sunt? Dies me deficeret, si illustres animas, quas huius profapia tetigit, enumerare adgrederer. Hoc addam, esse in generosis animis, quando praeclearo sanguini immixti sunt, quandam aemulandi vim et impetum, et transire a maioribus ad posteros quosdam veluti igniculos, qui deinde, vbi aetas creuerit, illius gloria, qua maiores, posteri exsplendescere cupiant. Licet enim stemmata non prosint, nec virtus per successiones quasi haeredibus tradatur, tamen illa memoria, quae maiorum nomen posteris amabile et earum reddit, filios veluti stimulus vrget, vt per eandem viam decurrant, quam illi feliciter calcauerant. Hic sane noster, cheu! noster quondam! hunc stimulum, hunc ardorem in pectore sensit, dum in illis locis, vbi suorum nomen vel vidit, vel audiuit, in id strenue elaborauit, vt homines crederent, se, ex eodem genere natum, nolle maioribus dedecori esse, sed ornamento. O felices iuuenes, qui parentes imitantur, et simili impetu per illos laudis gradus properant, quos superauit illorum olim industria! Quemadmodum enim in ipsis plantis, vbi vix e gremio terrae protruduntur, futurae spei initia latent; ita in iuuenibus, dum operantur, facile conspicitur, quid de illis sperare liceat. Ipsa natura, dum futuram gloriam molitur, in adolescentia quaedam quasi praeludia dat, ad quae adtendere debent, quotquot fiduciam in moribus ponentes, in animi naturali habitu sequuturae laudis omina quaerunt. In hoc Viro Magnifico, si alia omnia laudabilia et praecleara sunt, hoc certe non vltimum locum meretur, ipsius adolescentiam plenam gratulationis futu-

isse,



isse, ut ipsi quoque praeceptores, hunc ex schola Portensi dimissu-
ri, hac rara laude prosequuti sint: ipsum nihil unquam contra leges
commisisse. Digna certe tanto Viro etiam post mortem, nobis illae-
tabilem, vitae ratio, dignum exemplum, quod eat in posteritatis
memoriam, et iuuenibus commendetur, qui exemplis facilius ducun-
tur, quam praeceptis. Quamuis autem ita, ut diximus, adolecens
semper vixerit, tamen varios fortunae difficilioris casus perpeffus est,
ex quibus vero feliciter eluctatus, diuinæ prouidentiae singula-
ræ circa se curam miratus est. Post hæc enim, vbi illa expe-
rimenta constanter pertulit, gratiam summi Numinis per omnem
vitam academicam præsentem vidit, et per honores cito cur-
su, ut ita dicam, raptus, in diuina voluntate vbiuis locorum adqui-
euit. Mature ad ea deinde munera vocatus, sub quorum dignitate
vel alius deficeret, DEI nutum explendo, felix et tranquillus vixit.
Quantum tum boni hauserunt ex doctrinis auditores, quibus contigit
huius sacris sermonibus et institutioni interesse! Loquantur pulpita,
templa, auditoria, quæ huius Viri vox repleuit, quæ plena amõ-
ris erat, et plena solatii, nec, torrentis modo magna quidem sed tur-
bida, fluebat. Quam natiuus in ipsius sermonibus erat ordo! quam
naturali oratio pulcritudine exurgebat, ut patrem hortantem te audire
diceres, vbi hunc dicere audires. Testes sint illius, quod scripsi,
Wittebergenses, Seruetiani, Annabergenses, et vos demique Islebiën-
ses! testes sitis, quam liberali et leni flumine ipsius oratio defluerit
in animos; quod ipsum facilius erit posteris mirari, quam imitari.
Hæc sunt loca, in quibus docuit, quæ ipsius memoriam seruabunt,
dum doctrinae puritati suæ constabit honos. Non morabor Witte-
bergenses, quibus muneris et vitæ suæ primitias non sine gloria ex-
posuit; non Seruetanos, quibus et docendo et viuendo immortalæ ex-
emplum reliquit, ut ipsos non semel desiderium hunc reclamandi ce-
perit; non Annabergenses, a quibus ægerrime distractus est: Vos al-
loquor, quotquot Islebiae hunc Virum nostis, cuius vita et doctri-
nis meliores facti, nunc tanti Viri abirum e vita dolore et lacrymis
prosequimini! Sciant posteris, nos merita huius Senis non obliuione
preffisse; sed discant nostro exemplo illos et post fata venerari, quo-
rum vita foecunda fuit fructibus, et futuro saeculo profuturis. Debes
etiam Islebia! huic Viro lacrymas, qui in tanta vitæ sanctimonia et-
iam aliis ciuitatibus desiderium sui infudit, et ab aliis Dominis voca-
tus, te tamen reliquis prætulit, et Lutheri constans amator et defen-
sor, Lutheri patriæ sese totum ad finem vsque vitæ sanctissimæ



vindicauit. Quum enim antea a Duce Gothano Alreburgum euocaretur, et Scrueflani ipsum, quem antea audiuerant, remitti impense cuperent; tamen Annabergenses tum ita amauit, vt postea Islebienses, a quibus, licet Dantiscum sub pinguiſſimis conditionibus posceretur, tamen diuelli nullo modo potuit. Remuneremur hunc amorem nunc quoque digna meritorum memoria, nec vnquam ipsius imaginem ex animo elabi patiamur. Nolo enim equidem ipsius omnes virtutes, quas ipse vidi et miratus sum, per ambages recensere; id tamen non possum non in medium producere, quod, vbi mirifice placent omnia, hunc sanctissimum Senem mihi, nobisque omnibus fecit admirabilem. Miserissima est auditorum conditio, si doctores habeant, qui sacri ordinis vibices sunt, et maculae, et licet optime sapienter dicant, pessime tamen viuunt. Hi homines, quum inani sapientia turgidi plerumque sint, dum in excelso vitam degunt, illos, quos infra se vident, spernunt, et spretoſis impositis nouis oneribus misere opprimunt. Tum videas lugentes scholas, tristes et timidos praecceptores, templa vacua, perturbatos ciues, parentes de liberorum salute anxie quidem, sed sine spe sollicitos, et vt vno fasce complectar, deplorandum ciuitatis statum. Est igitur e re publica humani generis, eos viros in illo dignitatis gradu conspiciere, qui cum incomparabili eruditione vitae innocentiam coniungunt, et in omni vita id quaerentes, vt ament, et amentur, aliorum saluti et gaudio inuigilant. Quam belle haec postrema illi viro conueniunt, cuius casum lugemus! Erat in ipso excelsa quaedam anima, cui ad res in quouis doctrinae genere perspiciendas diuinitus adiuncta esse fortuna videbatur. Quanta, et quam accurata erat diuinarum veritatum plena cognitio! quam profunda rerum historicarum notitia, vt memoria, ad stuporem vsque tenaci, omnia omnium fere gentium facta et fata teneret! quam ampla philosophiae, veteris praecipue, scientia, vt non pallio, nec habitu sapientiam professus, ipsam potius toto animo complecteretur! Ego certe, quoties hunc Virum disserentem audiui, miratus sum semper, in vno homine tot opes, tot copias verae eruditionis latere. Sed vero, haec omnia, licet egregia prorsus sint, et honorifica, tamen ad durabilem gloriam non sufficere, quis non videt? Nisi enim ipsi naturae et doctrinae purior vita adiungatur, quae mentem sanioſorem exprimat, omnis gloria post mortem fugit, dilabitur, et euanescit. Manet vero e contrario, nec temporum obliuioni inuoluitur, si tales in vita fuerint, qualis is fuit, quo nunc carere inuiti cogimur. Iunxerat cum omnis generis eruditione et summo munere incredibilem quandam patientiam in laboribus et curis, facilitatem in quouis audien-



diendo, et insignem comitatem, quae sola, in summis Viris si conspicitur, reliquis virtutibus insigne addit pondus. Vidisses illum diebus noctibusque laborantem, suis parietibus semper fere inclusum, ut cogitaret ea, quae foras prodirent; vidisses legentem, meditantem, scribentem, et suo muneri intentum non horas fallere impio victorum seruitio, et inanibus frigidisque rebus, quae magnos viros non decent. Immo enim vero, victorum confinio non laedi, inimicitias et odium indicere erroribus, muneris dignitatem cum doctrinae integritate tueri, immobili constantia et fati et vitae labores ferre, miseris solatio esse, nocere nemini, et suam denique familiam prudenter regere: haec qui non laudaret, et post obitum etiam in hoc Viro suspiceret, is vero mihi omnem humanitatis sensum exuisse videretur. Hac ipsa autem imaginis delineatione, si omnes me laudes adumbrasse putarem, multum omnino mihi iumerem, nec essem ferendus. Id enim tantum feci, quod in dolore, qui loquax esse non solet, fieri debet, ut tangerem ea breuibus, quorum longiori commemoratione animum exulceratum penitus frangerem, et recens hoc vulnus, quod manum profunde exploraturam fugit, et reformidat, refricarem. Norunt omnes, quanta industria grauissimo suo muneri praesuerit; quanta fidelitate id, quod commissum a Deo et Principe erat, exsequutus sit; quam amice cum optimis Collegis vixerit; et quantum denique exemplum probitatis et antiquae fidei nobis et posteris reliquerit. Inde hunc fidum Senem DEVS per omnem vitam sua clementia texit, et felicitate in domesticis quoque rebus decorauit, ut diuinam providentiam vel oculis cernere posset. Primum enim matrimonium, quum infelici morte denderaminae coniugis, quae teneros tunc viduo liberos, inter quos erat GODOFREDVS POLYCARPVS, nunc Medicinae Doctor celeberrimus, veluti amoris pignora reliquerat, dissolueretur: in altera tamen coniuge, quam feliciter nactus, per plures annos vitae sociam habuit, id damnum, quod in prioris amissione passus erat, diuina gratia reparauit. Haec enim, licet quoque ante mortem huius Viri rebus mortalium eriperetur, reliquit tamen *Filiam*, adhuc superstitem, quae dolorem ex coniugis optimae abitu susceptum, sua praesentia, sua obseruantia mitigabat. Est haec DOROTHEA ELISABETHA, vidua optimi quondam et integerrimi coniugis, *Viri Excellentissimi, Consultissimi, OTTONIS*, professoris Halensis, cuius immaturam mortem nondum deslere desit Fridriciana. Quae filia, quum tristi discessu mariti sola relinqueretur, ad parentem refugit, ipsique per reliquam vitam, quam DEVS Seni destinauerat, solatio fuit et alieuiamento, vsque dum ultima vitae hora appropinquante, hanc quoque deserere cogere, quae ipsam in vita non deseruerat. Haec erat illa fatalis hora, quae hunc Virum, et lugenti huic optimae filiae, et nobis, et mortalitati subduxit, quem inter rarissima saeculi ornamenta merito suo numerabant nepotes. Non sum quidem ex iis, qui summos Viros aut nasci, aut mori certe non debere, existimant; hoc tamen fateor, huius Excellentissimi Viri morte irreparabilem nos iacturam fecisse, quam, qui exiguam putat, profecto non capit. Scio, solum humanarum rerum verecundam execrationem esse; at hoc quoque



Zc 2737 A

† † †

que non nescio, bonos facilius quam inuidos et sceleratos aduersa
vinci fortuna. Quare doluimus omnino huius Magni Viri, et omnis
simulationis et errorum acerrimi hostis, obitum, qui nostra certe opi-
nionem citius contigit. Quamuis enim ipso lenio homines confici, et
veluti ignem, cui alimenta, vnde nutriatur, delunt, exstingui, pulcre
sciam; tamen in hoc Viro, cui vegetum adhuc corporis robor fuerat,
haec timere, rationi minime congruens videbatur. Nec euenisset, ni-
si insidiosus quidam morbus, pedes primum inuadens, sese penitus in-
sinuasset, qui, latius hinc inde serpens, totum tandem corpus cepit,
et eas vires exfluxit et suffuratus est, quae Viro istius aetatis ad vitam
sustinendam necessariae esse videbantur. Infederat quidem hic morbus
per aliquot iam annos pedibus, et omne malum, quod corpori mina-
batur, collegerat, vt inde hic pertinax hostis nulla fere patientia vinci,
nulla arte tolli, et nullis denique remediis frangi posset. Fregit
tamen atrocissimum dolorem, ex hoc malo quotidie auctum huius Viri
constantia, supra quam describi facile sit, admirabilis. Quum enim ex-
tremam fati horam ingruere ipse videret, noluit communi mortalitatis
legi impatienter reluctari is, qui per totam vitam et patientiae et con-
stantiae laudem obtinuerat; sed ardentissimo potius desiderio oculos a-
nimumque ad Christum, mortis nostrae victorem, et ad vitae aeternae
pulcherrimam imaginem extulit, qua recreatus, et huius aerumnosae
vitae errores, et morbi sui impetum fortissime contempsit. Nouerat e-
nim, esse DEVM vitae nostrae mortisque arbitrum, qui, si a statione
nostra nos ad se euocat, sua iura exercet, quibus resistere velle, vel
inani disquisitione obesse, nefas esset, quum militis non sit de impera-
toris bene uoluntate formidat, intrepidus expectauit, qui impavidum circa hor. I. noctis in-
ter d. XVII et XVIII. Apr. oppressit; nobis autem aeternum huius Viri desi-
derium reliquit. Tum hic candidatus immortalitatis, et gloriae, et ex-
empli placide obdormiuit, et spiritum illi moriens sine tergiueratione
reddidit, qui nascenti dederat. O felicem! qui vt Kunadus viuuit! felici-
cem, qui vt hic optimus Senex moritur! Quiescat corpus ipsius in pa-
ce ad spem futurae restitutionis! Tu vero felix et sanctissima anima!
saluae nobis aeternum, aeternumque vale!

Restat, vt huic Viro Magnifico, beate defuncto, debitos honores
perfoluamus, et ipsius memoriam publico quodam exemplo seruemus.
Quod, quum fieri debeat a d. XV. Maii. oratione, in honorem huius
Viri in templo Andreano habenda; ad illam ipsam omnes, qui huius
Senis merita suspiciunt, perofficiose et peramanter inuitantur, vt fre-
quentes conueniant, et vltimo huic honori intersint, quem viuus omni-
bus exemplis optime meruit.

Dab, Isleb. a. d. viii. Maii, MDCCXXXVII.

* X o X *

44



ULB Halle

3

001 849 247



F. K. 59.

Zc
2737

AD
ORATIONEM FVNEBREM
IN HONOREM ET MEMORIAM
VIRI

MAGNIFICI, SVMME VENERABILIS, AMPLIS-
SIMI, DOCTISSIMI

ANDREAE
KVNADI,

SS. THEOL. DOCTORIS, COMITATVS
MANNSFELDENSIS SVPERINTENDENTIS
GENERALIS, CONSISTORII
PRAESIDIS

a. d. xv. Maii MDCCXXXVI

IN TEMPLO ANDREANO HABENDAM

MNES
I VIRI POST MORTEM
VSPICIVNT
VOCAT
LVD. DIENEMANN.
L. RECTOR.

EBIÆ,
ULLMANNI/CONSIST.
GRAPHI.

BIBLIOTHECA
VNIuersitatis
VNIERSITÄT
VNIERSITÄT

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

